13.704

(adl. 13)

Oratio in funere ſancte memorie Friderici·iij·Romanorũ Imperatoris wienne habita per Spectabilem virum dominum Bernhardum Perger illic in Conſilio Ciuium wiennenſium pro inuictiſſimo Romanorum Rege vicegerentem·

MAllem Sereniſſime ac Potentiſſime princeps Maximiliane ſacri Romani Imperij moderator ⁊ Rex ſemper Auguſte: id in preſentiarum dicẽdi genus humeris meis impoſitum: quod quondam tacitus ipſe mecum reuolui·aliquãdo futuꝝ eſſe: vt in hoc loco Serenitas tua cum caro parente ęquis animis regnantes in longi exilij commutationem ſumma cum laude: triumpho: ⁊ victoria publica contione lęti inuitaremini·Quod cum longe aliter atqꝫ mecum reputabã illud Inexorabile fatum res humanas voluerit: lugubris: triſtis merore ⁊ erũna plenus hic prodire cogor·atqꝫ vtinam ſacrũ hunc diem quem pleriqꝫ Aulici Imperiales hic ſtantes ore Cęſareo pollicitum audierunt: viuere licuiſſet: quid dulcius? quid iocũdius vncꝫ vniuerſe huic congregationi accidere potuiſſet nõ video· Nam tu quidem Sereniſſime Rex vnicum etate noſtra filialis obſeruantie ſpeculum et exemplar cariſſimo genitore quẽ ab ineũte etate tua vſcꝫ in extremã ipſius horã ſumma veneratione coluiſti·Vos illuſtriſſimi Principes conſanguineo patrono ⁊ vnico preſidio veſtro lęti potiremini: Reuerendiſſimi preſules: Reuerendi ac religioſi prelati | Magnifici Comites Barones ſimul ⁊ vniuerſa nobilitas: gratia piẽtiſſimi Imperatoris freti res veſtras tum publicas: tum priuatas ſũma cum quiete adminiſtraretis·Ego quocꝫ ſi tantillum hoc in loco nominare phas eſt·vna cum vniuerſa litterarij ordinis ꝓfeſſione ⁊ preſertim huius ſacri wiennenſis gymnaſij collegio dominuʒ ⁊ benefactorem noſtrũ fide ⁊ obſequio profiteremur· quem ⁊ ſi fata nobis prorſus iniqua preter opinioneʒ e medio ſuſtulerint: necꝫ illoꝝ ineuitabili ordinationi contraire liceat

Licebit ſaltem in erūnarum noſtrarum ſolatiū ⁊ tanti princi/
pis perpetuū monimentum de virtutibus eius ⁊ rebus magni
fice geſtis vt temporis anguſtia admittet paucula quedam at
tingere·quo te sereniſſime Rex tanti patris vnicam prolem ſu
perſtitem eius vice quem vulgo amiſiſſe videmur·⁊ colere ⁊ ve
nerari · Tum et tuam contemplantes celſitudinem : tanqnā
hunc non vita functum:ſed potius in te renatum dolorum no
ſtrorum tanto facilius obliuiſci poſſimus · At cū Maieſtatis
ſue tot ⁊ tanta egregia facinora nedum hoc in loco relatu di/
gniſſima : ſed etiam ſempiterna memoria poſteritati dicanda
ſeſe vna ingerant:dabis veniam Sereniſſime Rex ſi oratio no
ſtra amplitndinem huius loci non equet: ſi quantus fuerit ſa
cer ille genitor tuus dicere formidem: egent nempe iſta: vena
longe vberiore ⁊ tempore rerū magnitudini reſpondenti· Tū
quid multa modo dixiſſe iuuat:cum tuam celſitudinem ⁊ totā
hanc coronam alio intentos meſtos lugubreſqꝫ potius quan
tum hodierna die caſu tanti Principis totus terrarꝫ orbis pa/
titur q̃ꝫ hec puſilla meditantes conſpicio· Et quidem haud in
iuria· Imprimis nempe tu ſereniſſime Rex vite tue ſolatio·ſta
tus ⁊ dignitatis tue firmiſſimo columine prudentiſſimo atqꝫ
amantiſſimo parente tuo orbatus cuius incredibili in te amo
re atqꝫ beniuolentia ad ſummū Imperij decus euectus es : vt
quem natura ſibi principem hereditariū ſuccedere nouerat:eū
⁊ pari dignitate· Regnis vero populis ac terris longe amplio
ribus ſuccedere voluerit· Judicia extant·⁊ primum ⁊ precipuū
dum vaſtū illud Hungarie regnū iuri ſuo cedens ad te deuol/
ui ordinauerit dum bellicam nobiliſſimā Gallie regionem di
tioni tue adiecerit. Ecce diui parentis beneficio:inclyta dom⁹
Auſtrie in Occeanum vſqꝫ ſigna ſua ꝓfert: ⁊eadem rurſus in
Adriaticum mare reducit· Ecce Auſtriam iam Flandria canit
Auſtriam Burgundi Henones· Brabanti· Holandi· Selandi·
Innumeriqꝫ alij populi externi principantē venerant̄· Taceo
que intra fines patrios conquiſita celſitudini tue reliquerit.
Taceo Carentanos Carnoſqꝫ olim ſolo nomine Ducibus Au

030030027

ſtrie parentes:hodie quibuſdam acerrimis impedimentis op-
ra Cęſarea exactis pleno iure ad Maieſtatem tuaꝫ deuolutos.
Taceo fortiſſima Caſtra Ciuitates Opida portus. et intima
Sinus illirici fontiſqꝫ timaui non ſine periculo vite paterne
e manibus occupantiū erepta et imperio tuo adaucta. Taceo
cōſtantiſſimū eius in hoc cruento ⁊ diuturno Hungarico bel-
lo animuꝫ: qui vt principatus ⁊ dominia que tenuit ſanguini
ſuo ſeruaret iminuta:prius exulari elegit ꝙ ex his terris pu-
gillū ſponte alienare. O dignum parentem perpetua venera-
tione colendū:cuius curam ⁊ ſollicitudinem filius ſuperſtes.
ymmo nedum filius ſuperſtes: ſed et vniuerſum Romanum
Imperium abundantiſſime ſentit. O venerandum Imperato-
rem:iuſto titulo Auguſtum inſcriptum qui rem ſuam Roma-
nam ita adminiſtrauit vt per quinquaginta ⁊ quatuor annos
imperans ne apicem vnum eidem auferre permiſerit. Quid de
religione loquar? que quanto in hoc ſacro Cęſare noſtro cla-
ruerit dum meditor ingens et inſulcabile pelagus ingredi vi-
deor:qua (pace omniū dixerim)nemini illuſtrium:nemini in-
ferioris gradus ſua etatę ceſſiſſe pene omnibus conſtat. Ipſe
nanqꝫ adoleſcens qualis religione futurus erat oſtendit:dum
dominicum ſepulchrum et loca vbi ſacri pedes ſaluatoris no-
ſtri ſteterunt: nullius impulſu: nullius hortatu. ymmo mul-
tis contradicentibus: ſed ſuamet deuotione incitatus viſita-
ret:deinde ętate ſolidior dum ſacri Imperij gubernacula aſſu-
meret:necdum naue ad quam manum impoſuerat ob ſubitam
mutationem ſatis perſpecta illico pernicioſam et toti religio-
ni noſtre exitialem peſtem in Baſilee Concilio exortam forti
animo compeſcuit: et ſua moderatione prorſus extinxit. Poſt
ea vero paulatim creſcente ętate creuit et religio: et ardens
quoddam viſendi loca ſacra deſiderium:quo non ſatis erat ſe
mel ſuam vidiſſe Romanam vrbem. Illicqꝫ ſumptis cum con-
iuge ſua cariſſima diua Leonora inſulis Imperialibus ſemel
ſacroſanctas adoraſſe reliquias:quin ⁊ Paulo.ij. Pōtifice ma-
ximo in trono diui Petri ſedente non Imperator:ſed humilis

chriſti aſſecla ⁊ totus religioni deditus: rurſus beatorum apo
ſtoloꝝ limina reuidens ſacra Romana iterum adorauit: xp̄iq;
vicarium deuotiſſimus eccleſie Romane cultor: defenſor: ⁊ au
ctor: quantum Imperiali celſitudini congruebat veneratus.
ſancti Georgij religionem militarem ſua auctoritate ⁊ impen
ſis renouari: eccleſias wiennenſem ⁊ Noueciuitatis in cathe-
drales erigi: in hoc beati Stephani templo quotãuis indulgẽ
tias plenarias largiri obtinuit: atq; his aliijſq; innumeris ſa-
cris religioſus Imperator onuſtus ſumpta demore pontifica-
li benedictione extremũ vale vrbi dixit. Quid Mantuanum?
quid Ratiſponeñ. conuentum quibus clariores ętas noſtra
non vidit cõmemorem? cum hi ſoli Cęſaris religionem teſtentᷣ
quantũq; xp̄ianiſſimus Imperator in euerſionem nephandę
Mahumetanę ſecte totis viribus elaborauerit. Succedunt ad
huc his longe maiora religionis ſuę monumenta veneranda.
In primis ſedes Laybacenſ. beneficio Cęſareo duduꝫ in lucem
euecta: Succedũt monachi ſancte Trinitatis de Nouaciuita-
te Cęſarem in terris ſuũ creatorẽ profitentes: Succedunt iteꝝ
diui Pauli primi heremite ſanctimoniam ſectantes quaq; per
dominia ſuę Maieſtatis inducti atq; plantati: Tũ Canonici
regulares in Rotũmanno collegium ⁊ hoſpitale illud pientiſ
ſimũ ſub monte quem Pirum appellamus extructũ. Sanctimo
niales ſancte Cecilie nuper in vrbem Agrippinam tranſlate.
ac opibus ⁊ religione plurimũ auctę. Sanctimoniales in ſub-
urbanis Ulmenſium Cęſaris auctoritate contra omniuꝫ opi-
nionẽ in regularem diſciplinam reducte. Muliercule peniten
tes domus ſancti Hieronymi wiennenſ. pridie eius diei q̄ di-
ue virgini vt mos ſuus erat ſupremũ dicaſſet ieiuniuꝫ nouam
ſuę Maieſtatis donationẽ experte Poſtremo ingens ſacerdo-
tum ⁊ capellanorũ turba ſe ſuo auctore orbatam aſſidua voce
clamitans: que ſingula ſancte ⁊ ſincere religionis exempla: et
preſertim precipuũ ⁊ ſingulare illud principum Auſtrię decus
Diuũ Leopoldum tot annoꝝ curſibus carcere clauſum: nunc
vero ſola Cęſaris ſollicitudine in lucem relatuꝫ. ⁊ mortalibus

quantus cęlo fulgeat oſtenſum ac haud dubiū Cęſarem quem
inter mortales ſucceſſorem habuit in terris: hodie ſibi ⁊ in ce/
lis ſucceſſiſſe gaudentem: que ſingula dico ſi digerere vellē ac
current vniuerſa totius Germanie cenobia ⁊ ſacrarum domo
rum Collegia que ſeſe quantū benefici; Cęſarei ſenſerint pre/
teriri nollent. Sed quoniaȝ accelerat ſacri funeris curatio cui
inſignem hunc conuentum ardenti ſpiritu intendere conſpi/
cio: hec ⁊ alia queuis veſtigia que digniſſimus Imperator vi/
uens ad religionem: fidei cultum: clementiā: deuotionem: pie
tatem: Romane eccleſie. ſummiqꝫ pontificis ⁊ ordinis clerica/
lis obſeruantiā pertinentia accuratiſſime proſequutus eſt po
tius in aliud tempus referenda exiſtimo. ꝙ tantarum virtutū
copiā hic male interpretando vitiare. Illud tamen velleris au
rei geſtamen quod idem Cęſar pro gloria domus Burgundie
non dedignatus eſt aſſumere: quantūcunqꝫ funus vrgeat ob
eius vetuſtatem ⁊ per multa ſecula obſeruantiam in hoc cele/
berrimo loco intactum preterire non licet Prima nempe ſecu/
li origine religioſiſſimus gentis Judee ductor Gedeon illi au
ctoritatem dedit dum de hoſtibus triumphans diuinitatem
quandam celo demiſſam eidem ineſſe ſenſerat. quod ⁊ longe
poſtea fortiſſimus Jaſon collecta Europa atqꝫ Aſia iuuenum
ingenti multitudine terra mariqꝫ queſitū: ac tandem Colchis
ſub cuſtodia repertum ſignū triumphale toto terrarū orbe cla
riſſimū poſteritati reliquit: ad quod aſſequendū multis cona
tibus Gallie ⁊ Britanie reges ⁊ principes cum diu et quidem
fruſtra aſpiraſſent: tandem in clariſſimā Burgundie domum
conceſſit. Gaudeant igitur Burgundie duces inter tot reges
⁊ principes ſoli tanto munere digni: gaudeant quiqꝫ fortiſſi/
mi viri quibus datum eſt hoc nobile geſtamen humeris ferre
⁊ tantum principem eoꝝ collegio aſſcribi. Adſis igitur sereniſ
ſime rex Maximiliane vna cum clariſſimo nato tuo Philippo
Archiduce. Adſis Illuſtriſſime pricceps Alberte domus Saxo
nie ſingulare preſidiū. Adſit ⁊ reliqua nobilitas cui ob genus
⁊ rerum geſtarū amplitudinem hoc aurei velleris donum cō/

ceſſum eſt: vt quemadmodū vno animo vna voluntate ad res
maximas obeundas in eo indiuiduo fędere iuncti eſtis: ita
hodierna die vna voce: vno habitu: huius grauiſſimi capituli
veſtri digniſſimū caput e medio veſtri ſublatum plangite ⁊ ꝑ
more ordinis veſtri illi debitū officium exhibete: quo expleto:
dii in auxiliū ⁊ collegium veſtrum vocandi ſunt: vt in demor/
tui locum quempiā ſaltem imaginem tanti principis quē ami
ſiſtis referentem ſufficiant. Redeo ad magnifici atq; indefeſſi
Imperatoris fortiſſima geſta: ſed heu deſerit me tempus ⁊ di
cendi cōmoditas aufertur. Statuerā enim ſue Maieſtatis bel
la pro republica fęliciter geſta labores inexhauſtos pericula
vitę totiens contempta: patientiā in aduerſis ſingularē atq;
inauditam. Principes ⁊ reges in ſacrum Imperiū incurſantes
vel conſilio quo nemo validior: vel armis quo nemo acrior: de
uictos: quibus ſubactis clementiā Imperatore magnanimo
digniſſimā referre. Sed vt hec omnia vno verbo complectar ⁊
dicendi finem faciā. Ecce Cęſarem in omnibus agendis ſum/
mū moderatorē. Ecce Cęſarem vnicum caput quod reipublice
pondus ſuſtineret adeo vt nihil eſſet tam arduū: tam difficile
quod conſilio non obiret: prudentia non explicaret: ⁊ auctori
tate non perficeret: q̄ntumq; primus ⁊ iterū ille alter ſui nomi
nis duo quondā clariſſimi Imperatores. tū ⁊ Henrici: Conra
di: Ottones: ⁊ quiuis alii quos Germania in ſuis annalibus
fortiſſimos cantat adlethas: longius quoq; per Carolos: Lu
douicos: Berngarios: Conſtātios: Domitios: Claudios: Ty
berios: ⁊ vſq; ad Julium primū aſcendendo quantū hi dico ſin
guli vel cōſilio vel armis ⁊ rebus magnifice geſtis glorie poſt
ſe reliquerint: tantundem vnicus Is Fridericus. iii. in ſe/
ipſo complexus eſt: ⁊ hoꝝ omniū imaginem gerens precipuā
ſibi in hac mortali vita degens īmortalitatē comparauit: qui
tandem orbe pacato vt ſemper dū vixit animo quietus fuit et
pacificus in vniuerſa religionis noſtre tranquillitate. ab hac
mortali vita plenū dierū ſe eximens corpus nobis ſui itineris
monimentū reliquit. animā vero illi quem ſemper coluit deo

reddidit immortali. Age igitur inuictiſſime Rex ꝓuintiam ti-
bi a deo deſignatam: a parente relictam: ⁊ tuis met virtutibus
meritam forti dextera aggredere: vt ſiqua forte idem genitor
per ętatis imbecillitatem vt fit in pendenti reliquerit: ad ea cō
ficienda generoſus ⁊ intrepidus ille animus tuus qui totiens
hoſtes acerrimos ⁊ quidem parua manu ꝓfligauit: tot vrbes
opulentiſſimas in deditionem compulit: tot populos: tot lin-
guas ditioni ſuę ſubegit accomodetur: quo tandem te illum
quem rerum omniū conditor deus fatalem ętati noſtre: deſti-
nauit: ac vnicum in tribulationibus noſtris ſolatiū ſuſcitauit
e medio religionis noſtrę prodire videamus: qui igne ſpirita-
li accenſus dei eccleſiam a Barbarorum incurſibus: defendat
⁊ innocentem xp̄ianoruꝫ ſanguinem tot annis miſere effuſum
vlciſcatur. Sed cum volentē facile ſit in ſententiam quā aſtrui
mus inducere et iampridem Maieſtatem tuam opes ſimul cū
vita vltro offerentem viderimus. Vos illuſtriſſimos Princi-
pes. Comites. Barones: Vos regum ⁊ principum Oratores.
Vos fortes in armis exercitatos alloquor. Vos hec tangant.
Vos iſta requirant. Veſtrum eſt sereniſſimo illi Regi veſtro:
hodie potius ꝙ̄ in craſtinum in hoſtes fidei paratum exhiben
ti animū velle ⁊ debere aſſiſtere. ac dei veſtri honorem defende
re. Necꝫ vos hoſtium aut gentes aut opes innumere terreant
ſi modo quos video principes. Hic coram ⁊ oratorum patroni
facultatibus ſuis aderunt: nam ipſis aſſencientibus: aderit di
ues Italia: aderit nobilis Gallia: aderit fortis Hyſapnia: ad-
erit ⁊ bellicoſa ⁊ populoſa Germania: quibus ſub tanto prin-
cipe noſtro ⁊ presidio fortiſſimi antemuralis Hungarie regno
militantibus quandoquidem his potentatibus nec opes: nec
vires ꝙ̄ Turcis minores ſunt indubitatam promittimus in
deo victoriam.

Dixi.

Hain* 12.620